Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1921
Quelle:
Copyright:

in his verbis: *Rex vult ley* (mingium) *transferri, faciat ipsum consencienten, et sic res est expedita. Super quo R. pater esset cogitandum apud D. Regem. Tractatum Domini Rackanaten.* (Marini de Tocco Ep. Recinetens. et Macerat. in hoc negotio a Pontifice ad partes Legati) *retulimus aliquibus Cardinalibus, qui de ipso non bene contentantur. Ipse venit quarta feria ante festum penthec. cum* (Nomen erasum) *sed quid retulerit, adhuc nobis est occultum, quia non dum fecit publicam relacionem. Hodie soli et secrete nos conuenimus cum domino nostro d. papa cum Clenodio suo* (munere pretioso ab Alberto?) *et iterum lacius sibi loquimur. Constancia domini nostri d. Ducis a multis commendatur, quam et nos pro futuro pro indubitata predicamus. Clenodia et equi sunt presentata.* Hactenus Epistola sine die et consule. Exitum rei tradit *Hansizius cit.* 18) *Collatio pro domino Episcopo Ratisponen.* 1435. Erat. is *Conradus Westphalus Susaten. vir*, ut ait Noster, *potens opere et sermone, eximius pontifex et famosissimus professor facultatis theologice, cujus beneficiorum me immeritum, dum vniuersitatis in sacro Concilio tenerem locum, ipsius contemplatione crebro sensi participem, paterne siquidem M. Johannem* (Himmel) *et me etiam in propria tabula sepius pertractauit, circa negocia sacri Concilij quasi vna de primis ipsius columnis attentissima* &c. Cur Episcopus hic *Viennam* eo anno accesserit, nescio; certe Academiam invisit in festo D. *Lucae*, unde etiam *Haselbachius* huic suae Salutationi Thema optavit: *Salutat vos Lucas medicus* &c. Coloss. 4. 19) *In Aula* (academica) *Collatio* 1424. Die veneris magno. *Ecce Rex vester.* Joh. 19. *Appropinquante hora desiderabilissima* &c. 20) *Collatio pro 18. licentiandis in Artibus.* 1463. Thema: *Dimitte turbas, ut euntes in castella* &c. Matth. 14. Initium: *Pro complemento quarti premissi principalis* &c. 21) *Collatio in aduentu et presentatione ad Concilium Basilee. Anno* 1432. Ejus mentio in P. I. *Scriptt. Univ.* p. 162. e Cod. *Mellic.* Init: *Re^mi in christo patres — vota sancta iustaque ac flagrantia concepta vestrarum paternitatum desideria — audiuit alma mater nostra vniuersitas Wyenn. et — me ipsius syndicum curauit nominare et adunare mox ambasiate — Alberti Ducis Austrie* &c. Thema sibi sumsit *Thomas*, ut infelicem temporum statum depingeret: *Ecce motus magnus factus est in mari.* Matth. 8. In Simoniam, in *valdensium primum, post vero vikleffitarum et nouissime trifurcatam hussitarum heresim* invehitur, contra haec ait *Albertum Austriae Ducem ab omnibus vsque fere derelictum stetisse vsquemodo vt tetragonum*, demum Academiam *Vien.* commendat praecipuos ejus Viros post *Albertum de Saxonia Ep. Halberst.* commemorando *Henr. de Hassia, Henr. de Oyta, Gerhard. de Calcar* et *Conr. de Ebraco.* 22) *Hec questio posita est in medium Basilee.* 1433.

Vide-